



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 42. Caroli Gualterii Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

cecinit, & neutra a sua sententia di- Sæc. XVII.
 fecit: Altera etiam die Jesuitæ in are- A. C. 1687
 nam descensuri, convocabant Proceres,
 & Nobiles tam Calvinianos, quam Ca-
 tholicos, Rocestriensis tamen absoluto
 colloquio declarabat, se de suæ Reli-
 gionis veritate nunquam dubitasse, nec
 etiamnum eam mutandi animum ha-
 bere; Comes quoque Clarendonius o-
 lim Hiberniæ Pro-Rex inde revocatus,
 suæ sectæ immote adhæsit, cui sub-
 rogatus est Tyrconnelus Comes reli-
 gione Catholicus, quo urgente Tem-
 plum, ut vocant, *Christi Catholicis*
rursus vindicatum est.

§. XLII.

Caroli Gualterii Cardinalis obitus.

Luxit hoc anno Roma illustre Purpu- Eggs Purp.
 rati Collegii decus, Carolum Gual- Doct. 1. 6.
 terium patria Urbevetanum, qui pri- Old. in add.
 mis virtutum, ac literarum rudimen- ad Craton.
 tis in Romano Seminario politis ad
 graviores Juris utriusque disciplinas se
 contulit, ac laurea donatus ab Inno-
 centio X. patrocinandis pauperum caus-
 sis admotus est: postea ex utriusque
 Signaturæ referendario ab eodem Papa
 Cardinalis, & Firmanus Archipræsul
 creatus, Synodum Diæcesanam ha-
 buit, in qua conditis legibus saluber-

SÆC. XVII. rimis Clerum & populum ad sanctioris
 A. C. 1687. vitæ normam reduxit, ægrotos fre-
 quenter visitavit, pauperes larga elee-
 mosyna recreavit, & viduarum ac pu-
 pillorum causas juvans, se bonum, ve-
 rumque animarum Pastorem exhibuit,
 pluraque in Ecclesiæ suæ obsequium
 præclare gessit, assiduis autem labori-
 bus fractus, ac lethali morbo iterum
 ac tertio ad extrema usque vitæ discrimina
 conflictatus, Episcopatum suum
 dimisit, annuente Clemente IX. qui
 hanc Ecclesiam ejus Nepoti Joanneto
 Gualterio concessit: Interim Carolus
 Pastoralis cura solutus, Romam venit,
 ubi pluribus Patrum cætibus coopta-
 tus, de sede Apostolica se optime me-
 ritum reddidit, tandem vero senio &
 meritis gravis, ac sapientia morumque
 probitate honoratissimus Romæ die pri-
 ma Julii decessit, annos natus septua-
 ginta quatuor. Scripsit sermone lati-
 no orationes & poemata plurima, nec-
 non Synodalia statuta pro populo Fir-
 mano, & Monialibus Capuccinis, præ-
 ter sermones ad populum & leges pro
 Collegio de Propaganda fide & Semi-
 nario Firmi erectis.

§. XLIII.